

- residuum omnium sumarum condempnationum, quas designabit suo successori, et ipsam summam scribi facere in quaterno dictarum condempnationum vivarum et in quaterno domini potestatis, sub pena decem libr. par. pro quolibet procuratore. ¶ Et de condempnationibus exactis et non exactis monstrare claram et apertam rationem domino potestati et iudicibus comunis Tergesti omni mense et tociens (et) quociens fuerit requisitus, etiam pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet procuratore. Qui novus procurator dare debeat exemplum dictarum condempnationum sibi consignatarum in scriptis domino potestati sub proxima dicta pena. ¶ Item non emere tempore sui offitii aliqua mercimonia causa revendendi per se vel per alium, etiam pena vigintiquinque libr. pro quolibet procuratore et vice qualibet contrafacta. ¶ Item dare portionem condempnationum quas exigit illis qui accusaverint condempnatos secundum formam statutorum, etiam pena solvendi de suis propriis bonis. ¶ Item habere unam clavem ex clavibus logie comunis, ubi sunt armamenta, et ipsam logiam non aperire sine presentia unius vicedominorum, et de ipsis armamentis et rebus facere inventarium et ipsas suo successori consignare. ¶ Item non pepigere vel dare terminum alicui persone condempnate, etiam pena vigintiquinque libr. et solvendi de suis propriis bonis. ¶ Item prestare bonam et ydoneam securitatem comuni de omnibus et singulis bonis que pervenerint ad manus eius, et quod omnibus supra dictis et singulis obediet et servabit predicta in qualibet parte sui. ¶ Item interesse in quolibet arengo personaliter et facere sumare sumam dictarum condempnationum, antequam ipse condempnationes publicentur, etiam sub pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet vice contrafacta. ¶ Item concedere hominibus Tergesti mille pillotos quandocunque centum homines vel plures exirent extra civitatem Tergesti in aliquem exercitum vel servitium comunis, etiam pena decem libr. par. ¶ Qui predicti homines cum // inde reversi fuerint dictos pillotos eidem procuratori reddere teneantur sub dicta pena, salvo si essent dispersi. ¶ Item non dare vel donare alicui persone nec modo aliquo distribuere salem comunis Tergesti in aliqua quantitate parva